

vel à nescientia, ut dicitur in vi. cap. celest. Hier. & hæc duo in idem redeunt: confusio enim intellectus est ex hoc quod est in potentia respectu plurimum; & in hoc dissimilis est à primo intellectu, scilicet divino, cui nulla possibilitas admiscetur. Per lumen ergo receptum à Deo mediante superiori Angelo; liberatur intellectus angelicus ab hac dissimilitudinis confusione, in quantum terminatur ad unum; cui fortius inhæret, quanto magis medium cognitionis efficax est, sicut patet in eo qui nescit quam partem contradictionis eligat; sed in medio probabili, magis ad unam flectitur; sed addito medio demonstrativo, firmatur in illo.

Ad illud quod postea de illuminatione quaeritur, dicendum, quod circa hoc contrarie quidam opinati sunt. Quidam enim dixerunt, Angelos inferiores nunquam essentiam Dei videre; sed per illuminationem superiorum, qui eum immediate vident, Dei notitiam capere: cui obviat quod dicitur Matth. xviii. 10. *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei*; ubi loquitur de Angelis inferioris ordinis, hominibus ad custodiam deputatis. Alii vero è contrario dicunt, Angelos omnes immediate à Deo illuminationem recipere, negantes inferiores à superioribus illuminari, & negantes totum hoc quod Dionysius de Angelis tradit auctoritatibus sacræ Scripturæ probatum, & consonum Philosophorum doctrinæ. Unde mediam viam eligentes, dicimus, omnes quidem Angelos essentiam divinam immediate videre, ex quo beati sunt; sed non est necessarium quod qui videt causam, videat omnes ejus effectus, nisi ipsam secundum totam potentiam comprehendat, sicut Deus seipsum comprehendens, omnia cognoscit; aliorum autem qui ipsum videndo non comprehendunt, unusquisque tanto plura in eo cognoscit, quanto ipsum plenius capit fruitione gloriæ; sicut etiam ex principiis speculativis, qui melioris intellectus est, plures conclusiones elicere potest. Unde in his divinis effectibus pertinentibus ad statum naturæ, vel gratiæ, quæ per Angelorum officia dispensantur, superiores inferiores illuminant, & instruunt, ut expresse habetur in vii. celest. Hierar. & in principio iv. de divinis Nominibus.

Quod ergo tertio objicitur, quod mentem solus Deus formare potest, dicendum, quod verum est justificando per gratiam; sed de hac formatione nihil ad præsens.

Ad quartum dicendum, quod sicut in actionibus naturalibus inferius agens non habet efficaciam in productione effectus, nisi per virtutem agentis primi, quæ vehementius imprimit in effectum; ita etiam in intellectualibus inferior illuminans nihil potest efficere, nisi per virtutem primi illuminantis; & propter hoc ipse Deus est qui omnes docet; nec tamen excluditur ab aliis illuminatio, sicut nec ab agentibus naturalibus naturalis actio. Vel dicendum, quod docere proprie dicitur qui in cognitionem rei ducit. Sicut autem in cognitionem coloris sensibilem pervenit homo ex duobus, scilicet ex visibili objecto, & ex lumine, sub quo videtur (unde & uterque dicitur demonstrare rem, scilicet qui lumen præparat, & qui objectum representat) ita etiam ad cognitionem intellectualem duo exiguntur, scilicet ipsum intelligibile, & lumen per quod videtur: & ideo dupliciter dicitur aliquis docere, vel sicut proponens intelligibile, vel sicut præbens lumen ad intelligendum. Hoc autem lumen est du-

(2) *Al.* lumen, quod superveniens.

plexo. Unum intrinsicum, vel connaturale intellectui, cui similatur lumen quod est de compositione oculi; & per collationem hujus luminis solus Deus docere dicitur. Secundum (2) lumen est superveniens ad confortationem connaturalis luminis, cui similatur in visu corporali lumen solis, vel candle; & sic potest Angelus alium Angelum, vel etiam hominem illuminare ad aliquid cognoscendum. Non autem homo sic docere potest, cum in eo lumen intellectuale debilissima recipiatur. Quidam tamen dicunt, quod nullo modo Angelus docet sicut lumen præbens: quod expresse dicitur Dionysii (de celest. Hierar. cap. x.) contrariari videtur. Similiter etiam intelligibile duplex est. Unum ad quod intelligendum sufficit intellectus alicujus hominis, dummodo sibi considerandum proponatur: unde & ipse proponens docere dicitur, quasi in cognitionem ducens, sicut in visu corporali monstrat rem qui eam coram oculis ponit. Aliud est ad ejus cognitionem non sufficit intellectus discipuli, nisi in hoc manuducatur per aliquid sibi notum: unde & qui hoc magis notum sibi proponit, docere eum dicitur. Hujus simile est in visu corporali in hoc quod aliquis alicui rem à longe apparentem digito monstrat: & his duobus modis homo docere dicitur; & hæc doctrina est non per modum illuminationis, sed per modum locutionis.

Ad quintum dicendum, quod quamvis Deum omnes videant, non tamen ipsam comprehendunt; & ideo non oportet quod omnia omnes in ipso cognoscant; & propter hoc non removeretur quin unus Angelus, qui aliquid in Verbo Dei cognoscit, possit quantum ad hoc alium illuminare Angelum qui hoc in Verbo Dei non cognoscit.

Ad sextum dicendum, quod sicut in corporalibus illud quod est in actu, agit per hoc quod educit potentiam patientis in actum; ita etiam cum intellectus inferioris Angeli sit in potentia respectu quorundam, poterit per superiorem Angelum, qui est in perfectiori actu, reduci in actum similem, non per creationem alicujus novi luminis, nec per hoc quod idem numero lumen quod est in superiori, recipitur ab inferiori. Nec oportet esse aliquod medium deferens virtutem agentis: quia in eis falso imaginatur quis distantiam situalem; sed quod est in corporibus situs, hoc est in spiritualibus ordo secundum Augustinum.

Ad septimum dicendum, quod perfectio hic dicitur illud ad quod terminatur motus illuminationis; non autem perfectio gloriæ, vel naturæ.

Ad octavum dicendum, quod istæ tres actiones quandoque conjunguntur; & ideo non differunt nisi secundum rationem: quia omnis perfectio in hoc quod perficit, illuminat, & purgat, & omnis illuminans purgat; sed non convertitur, ut patet præcipue in nostra hierarchia secundum Dionysium: non enim quamlibet purgationem sequitur luminis receptio, sed perfectam; & similiter non quamlibet illuminationem sequitur perfectio cognitionis, sed consummatam.

ARTICULUS III.

Utrum hierarchia angelica dividatur convenienter in tres hierarchias, & novem ordines.

1. **A**D tertium sic proceditur. Videtur quod inconvenienter dividatur angelica hierarchia in

in tres hierarchias, & in novem ordines. Aut enim illa divisio est per divisionem totius integralis in partes, vel generis in species. Primo modo non dividitur, quia definitio communis non conveniret partibus, sicut definitio domus non convenit parietibus: nec item per modum generis, quia non omnes ordines æqualiter se habent ad participandum rationem hierarchiæ. Ergo videtur quod nullo modo possit esse competens divisio.

2. Præterea. Quanto aliquid est propinquius uni primo, tanto est minoris multiplicationis. Sed hierarchia angelica media est inter nos & Deum, ut in iv. cap. celest. Hier. dicitur. Ergo cum hominum sit tantum una hierarchia, videtur quod Angelorum non sint tres hierarchiæ.

3. Præterea. Superius, & inferius in Angelis non est, nisi secundum diversam proportionem ad receptionem divinorum. Sed ordines se habent sicut superius, & inferius. Ergo videtur quod sit in eis diversa proportio ad receptionem divinorum. (1) Sed similiter hierarchiæ se habent secundum superius, & inferius. Ergo videtur quod eadem sit ratio distinguendi ordines, & hierarchias.

4. Præterea. Ratio hierarchiæ consistit in ordine potestatis. Sed potestates determinantur per actus. Cum ergo ratio hierarchica sit triplex, ut dictum est, videtur quod sint tantum tres ordines celestis hierarchiæ.

5. Præterea. Ecclesiastica hierarchia exemplata est à celesti secundum Dionysium, cap. i. cel. Hier. Sed in ecclesiastica hierarchia, secundum eundem, sunt tantum tres ordines. Ergo videtur quod similiter in celesti.

6. Præterea. Unitas ordinis est, ut in littera dicitur, ex hoc quod multi spiritus conveniunt in uno munere gratiæ. Sed dona Spiritus Sancti sunt septem, ut habetur Isa. xi. Ergo videtur quod sunt tantum septem ordines Angelorum.

7. Præterea. Videtur esse diversitas in distinctione hierarchiarum secundum Gregorium, & Dionysium: quia Dionysius ponit virtutes medium ordinem secundæ hierarchiæ, & principatus primum tertie hierarchiæ; Gregorius autem è converso: & quaeritur ratio hujus.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod in Angelis invenitur triplex distinctio. Una est hierarchiarum ad invicem; secunda est ordinum in eadem hierarchia; tertia est personarum ejusdem ordinis: & quælibet illarum sumitur secundum diversam proportionem ad receptionem divini luminis. Diversitas enim hierarchiarum est secundum diversum modum recipiendi divinas illuminationes; diversitas vero ordinum est secundum diversos actus quos divinum lumen perficit secundum perfectius, & minus perfectum; diversitas vero personarum unius ordinis est secundum diversam virtutem in executione actus minus, vel magis efficaci. Verbi gratia. Nostra hierarchia distinguitur ab angelica in hoc quod nostra perficitur (2) divino lumine velato per similitudines sensibiles tam in sacramentis, quam in metaphoris Scripturarum; sed angelica perficitur lumine simplici, & absoluto: & cum dictus modus sit communis omnibus qui sunt in nostra hierarchia, tamen eorum sunt diversi actus, secundum quos di-

In II. Sent. Tom. II.

(1) *Al.* & similiter. (2) *Al.* in divino. (3) *Al.* dicit & his.

versi ordines distinguuntur. Alius enim est actus sacerdotum, & diaconorum; & in exercitio cujuslibet horum actuum quidam sunt aliis magis idonei. Angeli autem omnes, quamvis in hoc modo conveniant quod sine inquisitionis discursu, & sine velamine figurarum, divinum lumen recipiunt; tamen differunt in hoc quod quidam eorum recipiunt in majori universalitate quam alii: unde superiores dicuntur habere scientiam magis universalem, ut dictum est. Hoc autem non potest nisi tripliciter variari. Aut enim cognitionem divinorum effectuum recipiunt in ipsa causa prima universaliter; & hic est modus proprius primæ hierarchiæ, quæ est proportionata ad recipiendum illuminationes in ipso fulgore divini luminis; & propter hoc dicuntur circa Deum esse, ut omnes ordines ejus denominentur ab operatione circa Deum. Aut cognoscunt res in universalibus rerum rationibus; & hic est modus secundæ hierarchiæ; & ideo Angelorum hujus hierarchiæ est accipere perfectionem cognitionis per illuminationem primæ hierarchiæ, in qua sunt formæ maxime universales; & propter hoc ordines hujus hierarchiæ non denominantur ab operibus circa Deum, sed nominibus pertinentibus ad potestatem operandi in res, in quantum formæ per quas cognoscunt, sunt operative ad minus respectu effectuum, in quibus Deo ministrant; & quia istæ formæ sunt universales, nominantur à potestate non limitata, vel determinata ad aliquem, vel ad aliquos. Aut cognoscunt res in propriis rationibus; & hic est modus ultimæ hierarchiæ, in qua sunt formæ particulares, & proportionatæ, ut ab eis recipiantur in intellectus nostros: propter quod dicuntur Angeli hierarchiæ tertiæ accipere divinum lumen, secundum convenientiam hierarchiæ nostræ; & inde est quod ordines tertiæ hierarchiæ denominantur ab actibus limitatis circa unum hominem, vel unam provinciam. Hujus autem simile potest videri in terrenis principibus: quia ministrorum qui sunt sub uno Rege, quidam operantur immediate circa personam Regis, quasi cubicularii, & consilarii, & assessores; & hoc competit primæ hierarchiæ respectu Dei. Quidam vero habent officia ad regimen regni in communi, non deputati huic, vel illi provincie, ut domini regalis curiæ, & principes militiæ, & iudices curiæ, & hujusmodi: (3) & his similes sunt ordines tertiæ hierarchiæ. Et sic patet distinctio trium hierarchiarum.

Ordinum autem primæ hierarchiæ sic potest accipi numerus, & distinctio, secundum tres actus fruitionis quibus anima Deo fruitur: quorum unus est comprehendere, vel tenere, quo perficitur memoria; & secundum hoc accipitur ordo Thronorum, quia in eis sedet Deus, & quiescit, dum eos in se quiescere facit. Alius actus est videre, quo perficitur intellectiva; & secundum hoc accipitur ordo Cherubim, qui interpretatur plenitudo scientiæ. Alius actus est amare, quo perficitur voluntas; & secundum hoc accipitur ordo Seraphim, qui interpretatur ardens, vel incensens: & quia in hoc actu est completissima unio ad Deum, ex eo quod amor facit interiora amati penetrari; ideo ordo Seraphim est primus; secundus Cherubim, propter unitatem assimilationis, in qua completur scientia in actu; tertius

tus est Thronorum, quia in sessione importatur unio secundum contactum solum.

Ordinum vero secundæ hierarchiæ sic potest accipi divisio, & numerus: quia regimen alicujus communitatis est secundum hoc quod ordinate, & pacifice bonum commune dispensatur. Hic autem ordo pacis disponitur tribus: scilicet aliquo sententiante, quid unicuique debeatur; & ad hoc est ordo Potestatum, unde dicuntur arcere aereas potestates: & hic non est ultimus finis, sed quietem, & utilitatem bonorum dispensare, sicut potestas secularis suspendit latronem ad pacem civitatis. Sed sententia debet esse efficax, & recta: sed ad hoc ut sit efficax, indiget aliquo adjuvante, & propugnante, ut nihil sit impossibile exequi quod per sententiam determinatur; & ad hoc est ordo Virtutum, quæ attingunt ultimum in operandis omnibus difficultibus pertinentibus ad ministeria divina; & ideo attribuitur eis miracula facere: quia obviare legibus naturæ, est arduissimum. Ad hoc autem quod sit recta, indiget aliquo dirigente, & imperante; & ad hoc ordo Dominationum est ad quem pertinet dirigere in omnibus ministeriis divinis, sicut architector in mechanicis, qui etiam est præceptivus: & ideo hic ordo est primus secundæ hierarchiæ, quia ab ipso dirigitur, & imperatur quicquid in ministeriis divinis per Angelos agitur; & secundus est ordo Virtutum, à quibus actus potestatum efficaciam habet, sicut & leges sæculares oportet esse armatas, ut habeant vim coactivam.

Ordinum autem tertiæ hierarchiæ sic numerus, & ordo accipitur: quia cum habeant potestatem limitatam, oportet quod actus eorum vel limitentur ad unam provinciam, vel ad unum hominem. Si ad unam provinciam, sic est ordo Principatum, ut Princeps Persarum, qui præerat Persis, de quo habetur Daniel. x. Si autem limitatur ad unum hominem, aut est de his quæ pertinent ad ipsum tantum; & sic est ordo Angelorum, unde dicuntur minima numerare, quorum est etiam singulos custodire: aut de his quæ pertinent ad bonum multorum, quæ explentur per actum unius singularis personæ; & ad hoc est ordo Archangelorum, sicut Gabriel qui nuntiavit nativitatem Christi, & Joannis Baptiste: & ideo nomen eorum compositum est ex duobus ordinibus extremis: dicuntur enim Archangeli, quasi principes Angeli: & propter hoc etiam dicuntur majora nuntiare, quia bonum gentis est divinius quam bonum unius hominis, secundum Philosophum in I. Ethic. cap. 1. Numerus autem eorum qui sunt in unoquoque ordine, ignotus est nobis.

Ad primum ergo dicendum, quod divisio hierarchiæ in ordines est totius potestati in partes potentiales, sicut anima dividitur in suas potentias: & hoc totum est quasi medium inter totum universale & integrale. Universale enim est secundum essentiam, & completam virtutem in qualibet sua parte, unde de omnibus æqualiter prædicatur; sed integrale nec est secundum essentiam, nec secundum virtutem totam in unaquaque suarum partium, & ideo nullo modo de parte prædicatur: sed totum potentiale adest quidem secundum essentiam cuiuslibet parti, sed secundum completam virtutem est in parte suprema, quia semper superior potentia habet in se completius ea quæ sunt inferioris: & ista est comparatio hierarchiæ ad ordines.

Ad secundum dicendum, quod omnes homines

(4) Forte dona autem Spiritus Sancti perficiunt, &c.

sunt unius speciei; & ideo in omnibus est unius modus communis recipiendi divinas illuminationes, & propter hoc omnium est hierarchia una. Sed Angeli sunt diversarum specierum; & propter hoc in diversis hierarchiis ordinantur secundum diversum modum receptionis, ut dictum est. Sed verum est quod quælibet natura in Angelis est magis una & simplex quam natura humana, quæ est ultima natura intellectualis.

Et per hoc patet responsio ad tertium: quia sicut humanæ hierarchiæ sunt tres ordines, secundum Dionysium, de eccles. Hier. cap. v. ita & cuiuslibet cælestis: unde secundum tres hierarchias sunt novem ordines, ut sic in omnibus Trinitatis similitudo reluceat, secundum principium, medium, & finem.

Ad quartum dicendum, quod in nostra hierarchia distinguuntur ordines secundum tres actiones hierarchicas: quia ministrorum est purgare, sacerdotum illuminare simul, & purgare; sed Episcoporum perficere. Talis autem distinctio non potest esse in cælesti hierarchia: quia minimus ordo Angelorum est superior supremo ordine nostræ hierarchiæ: unde potest & perficere, & illuminare, & purgare.

Ad quintum dicendum, quod diversitas proportionum potest sumi multipliciter: aut secundum diversum genus proportionis, sicut duplum, & sexquialterum; quorum primum est multiplex, secundum superparticularem: alia est enim genere proportionum quatuor ad duo, quoniam dupla; & trium ad duo, quoniam sexquialtera: aut secundum diversas species ejusdem generis, sicut duplum, & triplum; quorum est unum genus proportionis, scilicet multiplex: aut secundum diversos numeros in eadem specie proportionis, ut quatuor ad duo, & sex ad tria: & prima diversitas competit distinctioni hierarchiarum, secunda distinctioni ordinum, tertia distinctioni personarum unius ordinis.

Ad sextum dicendum, quod dona secundum quæ distinguuntur ordines, sunt dona perficientia in actibus hierarchicis; & hæc variantur, ut dictum est: (4) dona autem, & virtutes perficiunt ad actus personales: & ideo secundum ea ordines non distinguuntur.

Ad septimum dicendum, quod ordinatio Dionysii est rationabilior: quia ipse distinguit secundam hierarchiam à tertia secundum universale, & particulare, non limitatum, & limitatum: & ideo Virtutes ponit in secunda, & Principatus in tertia. Gregorius autem non multum intendit ordinare, sed numerare. Nihilominus ista ordinatio potest sumi secundum actus exteriores, & secundum conformitatem ad nostram hierarchiam: & quia in nostra hierarchia habentes prælationem sunt super personas privatas, ideo in secunda hierarchia ordinat illos quorum nomina important officium prælationis, scilicet Dominationes, Principatus, & Potestates; in tertia autem ordines quorum actus sunt etiam personarum privatarum; ut mirabilia facere, quod est Virtutum; & nuntiare magna, quod est Archangelorum; & nuntiare parva, quod est Angelorum.

AR-

ARTICULUS IV.

Utrum nomina Angelorum convenienter distinguantur.

1. Ad quartum sic proceditur. Videtur quod nomina Angelorum non convenienter distinguantur. Nomen enim totius non debet parti imponi. Sed ordo est pars hierarchiæ. Cum ergo hierarchia sit idem quod sacer principatus, ut dictum est, videtur quod nullus ordo Principatus debeat dici.

2. Præterea. Nomen totius non debet imponi alicui ordini illius naturæ. Sed omnes cælestes spiritus Angeli vocantur. Ergo videtur quod ultimus ordo Angelorum non debeat nomine Angelorum vocari.

3. Præterea. Illud quod est superioris ordinis, non necessario invenitur in inferiori, quamvis è contrario. Sed nomina respondent rebus. Cum ergo omnes Angeli dicantur cælestes virtutes secundum Dionysium (cap. xi. cælest. Hier.) videtur quod hoc nomine non debeat nominari medius ordo secundæ hierarchiæ: quia nomina superiorum non sunt inferiorum.

4. Præterea. Omnis virtus est media inter essentiali & operationem. Sed nullus ordo vocatur in Angelis nomine essentiali, vel operationis. Ergo nec etiam nomine virtutis.

5. Præterea. Per nomina ordinum devenimus in proprietates eorum, secundum Dionysium (Lib. cit. cap. vi.) Sed nulli Angelo convenit per caritatem inflammare, nec in voluntatem imprimere: quia hoc solius Dei est. Ergo videtur quod inconvenienter dicantur Seraphim incedentes.

6. Præterea. Ardere caritate, & videre Deum, & tenere ipsum, sunt de substantia beatitudinis. Sed omnes Angeli sunt beati. Ergo nulli ordines debent ab his actibus nominari.

7. Præterea. Queritur, quomodo differant hæc tria, Seraph, Seraphin, & Seraphim; & Cherub, Cherubin, & Cherubim.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod circa nominationes ordinum attendendum est, quod sicut unusquisque ordo est altior, ita etiam à perfectiori nominatur: & quamvis ea quæ sunt superiorum, participantur quodammodo ab inferioribus, & è contrario; non tamen debent esse confusa nomina, sed distincta. Ad hoc enim quod aliquod nomen nominet proprie aliquam rem, duo requiruntur, scilicet quod quod significatur per nomen, habeatur perfecte secundum completum actum, & ut sit ultima perfectio ejus: & quia omnis denominatio est à forma, quæ dat esse; & est principium operationis; ideo Angeli denominantur ab eo quod est in eis loco formæ, tamquam à digniori. Verbi gratiæ, in homine est quedam participatio intellectus: & quia non habet plenum actum intellectus, ut sine inquisitione, & imaginatione intelligere possit, ideo in ordine intellectualium non ponitur. Similiter etiam quamvis sensum habeat secundum completissimam operationem respectu omnium animalium; quia tamen sentire non est secundum ultimam perfectionem ejus, non ponitur in ordine sensitivorum, sed in ordine rationalium: quia rationis actum plene

In II. Sent. Tom. II.

(1) Supple Seraphim.

Ex Edit. P. NICOL.

(a) Homilia xxxiv. super Evangelia.

habet, & est actus ejus, in quantum est homo. Secundum hoc ergo dico, quod donum superiorum est in inferioribus secundum quandam participationem, non secundum completum actum; & ideo ab eo non possunt denominari: è contrario vero dona inferiorum sunt in superioribus eminentius; sed in illis actibus non est ultimum complementum eorum, unde ab his non denominantur sicut proprio nomine: & inde est quod dicuntur sibi in denominationibus cedere, ut scilicet superior ordo ab excellentiori actu proprium nomen sortiatur.

Ad primum ergo dicendum, quod Principatus communiter sumptus ad cuiuslibet prælationis officium, intelligitur nomine hierarchiæ; sed Principatus specialiter sumptus ad regimen determinatæ provincie, est nomen unius specialis ordinis.

Ad secundum dicendum, quod nomen Angeli designat manifestationem, cum Angelus nuntius dicatur: esse enim manifestativum simpliciter convenit omnibus ordinibus, in quantum scilicet secundum descensum ordinum, lumen intellectuale est in eis minus simplex, & magis proportionatum intellectui sequentium: & ideo dicit Dionysius in xi. cap. cælest. Hierar. quod semper inferior Angelus manifestat superiorem omnibus sub se ordinatis: & ideo esse manifestativum omnium superiorum respectu nostri est ultimi ordinis: propter quod ultimum ordinem Angelorum nomine significamus, aliis ordinibus nominatis ab his quæ designant excellentiorem modum nuntiandi, vel manifestandi: & per hunc modum Angelus est nomen naturæ, quia conditionem naturæ exprimit. Sed si nuntiare sumatur secundum exterius ministerium quod exercent, sic Angelus est nomen officii, non naturæ, ut dicit Gregorius. (a)

Ad tertium dicendum, quod nomen Virtutum, secundum quod nominat specialem ordinem, sumitur à speciali dono, vel actu, quod est exequi, & perficere quicquid est arduum, & difficillimum in ministeriis divinis; sed secundum quod convenit omnibus cælestibus spiritibus, sumitur à virtute sequente naturam.

Ad quartum dicendum, quod Angelorum nomina quedam sunt communia omnibus ordinibus, quedam autem propria determinatorum ordinum. Communium autem quedam sumuntur ab essentiali, vel aliqua conditione naturali, ut quod dicuntur cælestes essentiali, & Angeli, & spiritus, & divinæ mentes, & divini intellectus, & cælestes animi: quedam vero à virtute, ut quod dicuntur cælestes virtutes; quedam vero ab operatione, ut quod dicuntur Angeli; sed nomina specialium ordinum sumuntur à donis superadditis, & officiis consequentibus dona; & ideo nomina specialium ordinum magis possunt equivocari cum nominibus generalibus, quæ sumuntur à virtute, & ab operatione, quæ essentiali superadduntur, quam cum illis quæ sumuntur à natura, quæ non superadditur, sed substernitur.

Ad quintum dicendum, quod Seraphim non dicuntur incedentes, quasi habitum caritatis influant; sed quia illuminant de his quæ ad amorem caritatis pertinent.

Ad sextum dicendum, quod nomina superiorum ordinum non sumuntur simpliciter ab actibus fructuosis, sed ab excellentia eorum quæ tantum in superioribus inveniuntur; quamvis fructio communis sit omnibus: non enim dicuntur (1) amantes, sed ar-

M 2

dentis, in quo consummatio caritatis exprimitur: similiter Cherubim non dicuntur simpliciter videntes, vel scientes, sed pleni scientia. Unde per istum modum scientiam habere non est commune omnibus; quamvis scientia, vel visio omnibus sit communis; & propter hoc non possunt omnes dici Cherubim, ut dicit Dionysius in xii. cap. cœlest. Hierarch.

Ad septimum dicendum, quod nomina ista desinentia in *in*, ut *Cherubin*, *Seraphin*, sunt neutri generis, pluralis numeri, & ponuntur pro toto collegio unius ordinis. Desinentia autem in *im*, sunt masculini generis, & pluralis numeri, & ponuntur pro pluribus personis unius ordinis. Sed *Cherub*, & *Seraph* sunt masculini generis, & singularis numeri, & significant unam personam illius ordinis. (3)

ARTICULUS V.

Utrum omnes Angeli unius ordinis sint æquales.

1. AD quintum sic proceditur. Videtur quod omnes Angeli unius ordinis sint æquales. Major enim est convenientia eorum qui sunt unius ordinis quam eorum qui sunt unius hierarchiæ. Sed Dionysius frequenter vocat æquipotentes eos qui sunt unius hierarchiæ. Ergo videtur multo fortius quod illi qui sunt unius ordinis, sint æquales.

2. Præterea. Quæcumque se habent sicut superius, & inferius, sunt in diverso gradu, vel ordine ordinati. Sed quicumque in Angelis sunt æquales se habent sicut superius, & inferius. Ergo videtur quod sint diversorum ordinum. Ergo si aliqui sint unius ordinis, videtur quod sint æquales.

3. Præterea. Dignitas Angelorum est secundum dona percepta. Sed illi qui sunt unius ordinis, perficiuntur uno dono, ut habetur ex definitione ordinis, in littera posita. Ergo videtur quod sint æquales.

4. Præterea. Quanto aliquid immediatius coniungitur alteri, tanto minus distat ab illo, sicut tria minus distant à duobus quam decem. Sed si Angeli qui sunt unius ordinis, essent inæquales, inferior Angelus unius ordinis (4) magis immediate se haberet ad primum Angelum inferioris ordinis quam ad superiorem sui ordinis. Ergo Angeli diversorum ordinum magis convenirent quam Angeli ejusdem ordinis: quod videtur absurdum. Ergo omnes Angeli unius ordinis sunt sibi immediati, ita quod se mutuo non excedunt.

Sed contra. Ubicumque est primum, medium, & ultimum, ibi est inæqualitas. Sed in Angelis unius ordinis est invenire primos, medios, & ultimos, secundum Dionysium in x. cap. cœlest. Hierar. Ergo Angeli unius ordinis non sunt æquales.

Præterea. In Angelis est summa pulchritudo post Deum. Sed in diversorum graduum consonantia ordinata consistit ratio pulchritudinis. Ergo videtur quod in Angelis etiam unius ordinis est huiusmodi gradum invenire.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod, sicut supra dictum est, Angeli secundum diversitatem naturalium diversimode etiam in gratuitis perfecti sunt, secundum quæ dona in ordinibus distinguuntur. Cum autem supra dictum sit, quod in una specie non sint plures

(3) Consule comment. in cap. vi. *Isaiæ*, ubi paullo diversa leguntur. (4) *Al. deest* magis. (5) *Al. additur* est.

Angeli, & species in Angelis non possint differre nisi secundum, quod magis, & minus habent de potentialitate, & actu; oportet quod unius Angeli semper natura sit sublimior quam alterius: ideo non est accipere duos Angelos æquales in tota cœlesti hierarchia.

Ad primum ergo dicendum, quod Angeli unius hierarchiæ dicuntur æquipotentes, non simpliciter, sed secundum quid, scilicet quantum ad modum accipiendi illuminationes divinas, qui est proprius illi hierarchiæ: & similiter Angeli unius ordinis sunt æquipotentes secundum convenientiam in actu illius ordinis, & non simpliciter.

Ad secundum dicendum, quod non qualibet distinctio gradus facit distantiam ordinum, ut supra dictum est; sed illa quæ est secundum diversos actus.

Ad tertium dicendum, quod quamvis omnium sit unum donum, non tamen æqualiter omnes illud participant, sed secundum magis & minus.

Ad quartum dicendum, quod sicut in naturalibus diversa quantitas, & diversa intensio qualitatis non facit diversitatem in specie, sed est dispositio ad diversam speciem, in quantum unaquæque species requirit determinatam quantitatem dimensionis, ut dicitur in II. de Anima (text. xli.) & similiter ad speciem ignis requiritur determinata intensio caloris: unde possibile est ut aliqua minus distet in quantitate, vel intensione qualitatis, quæ magis distat secundum speciem; ita etiam (5) in ordinibus Angelorum, si consideretur distantia secundum rationem quantitatis tantum, non est inconveniens, quod infimus Angelus alicujus ordinis plus distet à supremo sui ordinis quam à supremo inferioris ordinis, à quo tamen differentia formali, & secundum speciem magis distat, in quantum attingit rationem superioris ordinis, quam alius non consequitur; sicut si diceretur, quod frigidissimus vir minus distat à calidissima muliere quam à calidissimo viro, cum quo tamen magis convenit ratione sexus. Et hoc universaliter invenitur, verum in omni re quæ comparitur aliquam latitudinem diversorum graduum.

ARTICULUS VI.

Utrum omnes hierarchiæ sint connexæ.

1. AD sextum sic proceditur. Videtur quod non omnes hierarchiæ sint connexæ. Quorumcumque enim ratio consistit in distinctione, eorum non est aliqua connexio: quia connexio dissinctioni opponitur. Sed ratio hierarchiæ consistit in distinctione superioris, & inferioris. Ergo earum non est connexio.

2. Præterea. Quæ differunt in eo quod est maxime commune, non habent ulterius in quo connectantur; sicut quæ specie differunt, genere conveniunt; & quæ differunt generibus generalissimis, non univocantur in aliquo. Sed hierarchia est quid communissimum comprehendens sub se ordines, & personas. Ergo diversæ hierarchiæ in nullo connectuntur.

3. Præterea. In Angelis non est invenire nisi naturalia, & gratuita. Sed in naturalibus non connectuntur, cum sint diversarum specierum: nec iterum in gratuitis, cum diversis muneribus gratiæ diversi ordines perficiantur. Ergo videtur quod ea quæ non con-

junguntur in aliquo uno termino communi, (1) non videntur connexionem habere, sicut discreta. Sed hierarchiæ, & ordines non ununtur in aliquo uno termino communi, cum non sit unus ordo diversarum hierarch. nec unus Angelus diversorum ordinum. Ergo videtur quod non sit aliqua eorum connexio.

Sed contra est quod Dionysius dicit in cap. x. cœl. Hier. assignans connexionem ordinum, & hierarchiarum.

Præterea. Dicit Commentator in XI. Metaph. quod ordo substantiarum separatarum sub Deo, & ad invicem, est sicut plurium artium sub una arte communi: unde scientiam Dei assimilat Metaphysicæ, sub qua sunt omnes scientiæ; & sicut plura officia ordinantur sub principe civitatis. Sed in omnibus his est aliqua connexio, secundum quod ad invicem dependent. Ergo videtur quod hierarchiarum cœlestium, & ordinum sit connexio.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod ordines angelicæ hierarchiæ, omnes sunt connexi ad invicem, & etiam ordinibus nostræ hierarchiæ, ut Dionysius tradit (ubi supra.) Hæc autem connexio intelligenda est ad modum ordinis universi, cujus partes ad invicem ordinatæ sunt, in quantum una alteram juvat ad consecutionem sui finis, & etiam ad ultimum bonum, quod est finis totius universi: ita etiam connexio hierarchiarum est & secundum relationem in unum finem ultimum, & secundum quod omnis hierarchiæ finis est unitas, & similitudo ad Deum; & secundum ea quæ sunt de essentia ipsius hierarchiæ, scilicet secundum ordinem, scientiam, & actionem: secundum ordinem quidem, in quantum in omnibus invenitur distinctio per primum, medium, & ultimum: sicut enim angelica hierarchia, media est inter Deum & nos; ita etiam est accipere in ipsa hierarchia primam hierarchiam, & mediam, & ultimam; & in unaquæque primum ordinem, medium, & ultimum; in quorum unoquoque est accipere primos Angelos, medios, & ultimos, & hoc à primo usque ad ultimum: secundum scientiam vero, in quantum irradiatio divini luminis extenditur à primis usque ad ultimos, ut dicitur Job xxv. 3. *Numquid est numerus militum ejus, & super quem non surgit lumen ejus?* quod tamen non uniformiter ab omnibus recipitur; sed à superioribus in majori simplicitate, & ab inferioribus in minori: secundum actionem autem, quia primi habent actionem hierarchicam in medios, & medii in ultimos, & medii manifestant primos, & ultimi medios, eo modo qui supra expositus est: & sic secundum quatuor quæ in definitione hierarchiæ ponuntur, quadruplex ejus connexio assignatur.

Ad primum ergo dicendum, quod distinctio quæ est de ratione hierarchiæ, est ordinatorum ad invicem, & ad aliquod unum: & talis distinctio connexionem non excludit, sed ponit.

Ad secundum dicendum, quod plurium hierarchiarum est unus finis communis, & una communis perfectio, & ratio: & ideo quæ differunt in hierarchia, connectuntur in fine ultimo, & in communi ratione hierarchiæ, & in lumine perficiente hierarchiam; sed ordines unius hierarchiæ præter hoc connectuntur in his quæ sunt propria illius hierarchiæ;

(1) Forte non habeant connexionem, sicut &c.

Ex EDIT. P. NICOL. (a) Quod subjungitur tum hic, tum sequenti argumento partim sumitur ex cap. vii. de cœlesti Hierarch. partim ex Lib. de eccles. Hier. cap. v.

& qui sunt unius ordinis, in propriis illius ordinis. Ad tertium dicendum, quod Angeli perficiuntur duplici lumine: lumine scilicet naturali, prout sunt intellectus quidam; & lumine gratuito perficiente ad actus hierarchicos: & utrumque lumen est unum in omnibus ex parte principii à quo est, & finis ad quem ordinatur; sed utrumque distinguitur, & appropriatur diversis secundum diversam capacitatem recipientium; tamen distinctio ordinata est, & ipse ordo connexionem ponit; & ideo talis distinctio connexionem non excludit.

Ad quartum dicendum, quod invenitur in hierarchiis, & in ordinibus quidam communis finis, non quod unum sit in diversis, sed in quantum invenitur in uno diversorum proprietates secundum convenientiam, & secundum ordinem sapientiæ divinæ, quæ finem primorum coniungit principiis secundorum, ut dicit Dionysius in vii. cap. de div. Nomin. (circa finem.) Et hoc patet discurrenti per singulas hierarchias. Primus enim ordo primæ hierarchiæ quodammodo secundum maximum excessum accedit ad divinas proprietates: unde nominatur Seraphim ex proprietate ignis, qui maxime significat divinas proprietates, ut dicit Dionysius in fin. cœl. Hierar. Ultimus vero ordo illius hierarchiæ habet quamdam conglutinationem cum ordinibus secundæ hierarchiæ: unde & non denominatur tantum ab actu qui est circa Deum, sed & ab actu qui est in inferiora: & ideo dicuntur Throni, in quantum Deus in eis sedet ut omnia judicans. Similiter etiam in secunda hierarchia primus ordo, scilicet Dominationem, habet aliquid simile cum hierarchia prima, scilicet præesse, & non exequi. Ita etiam primus ordo tertiæ hierarchiæ, scilicet Principatus, habet aliquid simile cum ordinibus secundæ hierarchiæ: unde & nomen ejus prælationem importat. Similiter etiam & summus ordo nostræ hierarchiæ habet aliquid simile cum ultimo ordine cœlestis hierarchiæ, & ideo sacerdos vocatur Angelus. Malach. 11. 7. *Labia sacerdotis custodient scientiam, & legem requirunt ex ore ejus: quia Angelus Domini exercituum est.*

ARTICULUS VII.

Utrum distinctio ordinum sit à natura.

I. P. quæst. cviii. art. 4.

1. AD septimum sic proceditur. Videtur quod distinctio ordinum non sit à natura, ita quod à creatione incoeperit. Conformitas enim mentis ad Deum est per gratiam. Sed hierarchia est deiforme, in quantum possibile est, similans. Ergo videtur quod ordines hierarchiæ non distinguantur nisi per gratiam.

2. Præterea. Secundum Dionysium (a) cap. vii. cœl. Hier. per nomina ordinum ostenduntur proprietates eorum. Sed quædam nomina ordinum expriment gratiam, præcipue nomen *Seraphim*, quod imponitur ab ardore caritatis. Ergo videtur quod distinctio ordinum sit per gratiam.

3. Præterea. Nostra hierarchia exemplata est à cœlesti. Sed in nostra hierarchia non est distinctio ordinum per naturam, sed solum per gratiam sacramentalem, quæ confertur in sacramento ordinis. Ergo videtur quod distinctio ordinum sit per gratiam.

de-